



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus XXIV. De Donationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

petitio negatur *L. cum quis 10. C. de juris & facti ignorantia L. 2. & seqq. ff. eodem. regula 13. in 6. ignorantia facti excusat non juris, & explicavi lib. 1. tra. 4. c. 20. n. 7.* Excipe, nisi, qui indebitum tale solvit, sit mulier, miles, minor, agricola. His enim jura ignorantibus venia datur *L. regula 8. ff. de juris & facti ignorantia.*

2. Notandum secundum. Licet nemo in dubio presumendus sit debitor, quia contractam esse obligationem, est quid facti, quod affirmans probare debet, sicuti & vice versa, si constat, contractum esse debitum, debitor autem solutionem factam affirmet, id probare debet *L. 1. C. de probationibus.* Attamen postquam aliquis pecuniam, tanquam debita sit, solverit, postea vero per errorem solutam esse dicat, quia erat indebita, hoc ostendere cogitur, ne hic dicitur (signatè dico, tanquam debita sit, sive adjecta causâ v. g. ex mutuo, empto, donato) Sin autem id tantum constet, quod Titius pecuniam numerârit Cajo, audiendus est Titius, si dicat, se mutuum dedisse, aut deposuisse, sicuti *hic Abbas docet n. 2. & allegat Glossa in L. cum quid. 3. ff. si certum petatur.* Ubi dicunt, quod nemo facile presumitur donare, sed potius mutuum, vel depositum dare, si quis nul-

lâ causâ expressâ pecuniam v. g. alteri numeret.

Notandum tertium, Ex mendacio, de quo reus convictus est, presumptio contra eum oritur, eum malam causam fovete, & idè intentio actoris confirmatur. Ita colligitur *ex hoc c.* quando creditor conventus per conditionem indebiti obterrorem soluti, si neget factam sibi solutionem, eâque contra ipsum probata sit, confirmatur intentio actoris, quod pecuniam non debuerit, sed per errorem solverit. Quare adversarius presumptione gravatus ostendere cogitur, pecuniam fuisse debitam: simile quid habetur in *L. ult. ff. de rei vindicatione*, quod possessor ab actione reali, seu vindicatione intentâ, liberare se possit negando, se possessorem esse; sin autem convictus fuerit possidere, tunc propter mendacium ortâ contra ipsum suspicionem, actoris intentio adèd roboratur, ut à judice in possessionem rei petite mittendus sit, tamen si suam esse non probaverit, manente tamen priori possessori quæstione proprietatis, si rem sibi ablatam ad se pertinere, vel ad adversarium non pertinere ostendere velit *authent. de triente. & semisse S. illud. collatione 3.*

TITULUS XXIV.

DE DONATIONIBUS.

CAPITVLVM I.

Prudentes.

PARAPHRASIS.

Vir nobilis hanc sibi quodammodo Legem imponit, ut si quid ultrò tribuat, id à se deberi existimet, & nisi beneficia sua auget, nihil se præstitisse arbitretur. *Gregorius I. lib. 14. registri. indictione 7.*
P p 2. *epistolæ*

Dona, sive contractus alij sunt onerosi, seu reciproci, & alij gratuiti. Cum itaque de reciproci, seu ex utraque partium parte obligationem continentibus, dictum fuerit, videlicet de emptione, locatione, permutatione, feudo &c. sequitur, ut de gratuitis dicatur, quorum præcipua species est donatio.

epistola 17. ad Asclepiodatum Gallorum patricium.

SUMMARIUM.

Liberalitas propria virtus nobilem est.

Notandum primum. Viri nobilis, seu illustris propria virtus est liberalitas, sive liberalitas virum nobilem, seu illustrem maximè decet. Quà de re dixi in c. 2. de supplenda negligentia in 6. & sumitur ex c. cum dilecti 6. hoc tit. adeò, ut quæ ultrò dant beneficia viri magnanimi, præsertim Ecclesijs, aut bene de se meritis personis, eà ex Lege, seu tanquam debita, à se dari existiment. Videri potest Tiracuellus de nobilitate c. 37. n. 34. Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 25. n. 19.

Notandum secundum. Viri liberalis, & magnanimi est in beneficijs datis non consistere, sed ea augere, & nova adjicere. Augere, inquit S. Gregorius in cit. epistola, favoris vestri præsidia, quia apud nobilium mentes semiplenum Bonum videtur, quod sine adjectione relinquitur.

CAPITULUM II.

Fraternitatem.

PARAPHRASIS.

Episcopus, & Prælatus quilibet, cum rerum Ecclesiasticarum procurator, seu administrator sit, non dominus, ideò Ecclesiæ conditionem meliorem reddere debet, non deteriorem; ea propter scribit Alexander III. ad Parisiensem Episcopum, cum antecessor ipsius, magni momenti donationes ex rebus Episcopatus, Canonicis inconsultis, fecerit in Ecclesiæ detrimentum, quæ de jure non subsistunt, ideò se permittere ipsi, ut donationes ejusmodi tam à Clericis, quàm Laicis revocare possit.

SUMMARIUM.

1. Rerum Ecclesia procurator, non dominus est Prælatus Ecclesia.

2. Neque tamen potest Ecclesia obesse agendo, sive contrahendo circa bona Ecclesia jam acquisita.

3. Quæ male alienata sunt ex rebus Ecclesia sua, successor revocare debet.

Notandum primum. Episcopus & quilibet Prælatus rerum Ecclesiæ procurator est, non dominus. Sensus est, quod Prælatus res Ecclesiasticas tanquam bonus & diligens administrator procurare debet, non tanquam dominus earum sit, ad libitum disponere. Est tamen discretus inter ipsos Prælatos, quorum alij regulares, & paupertatem professi, alij seculares. Deinde inter res Ecclesiasticas; alie sunt Ecclesiasticæ, vel universitatis; ita ut nulli particulatim assignatae sint, alie vero res, seu proventus Ecclesiastici, qui Prælato, seu alteri beneficiario assignati sunt, in sustentationem vitæ.

Dico igitur primò. Rerum, quæ sunt Ecclesiæ, vel universitatis, Prælatus non habet dominium, sed tantum administrationem. Ita S. Th. 2. 2. q. 185. a. 7. in corpore. Habet verò administrationem liberam, ac generalem proventuum, ut eos in ad divini cultus augmentum, tum ad bonum & fratrum suorum sustentationem (si propria ipsis portio assignata non sit) tum ad pauperum alimoniam fideliter & studeat eroget. c. nullum 9. c. Apostolicis 13. cap. 12. q. 2. & videri potest Suarez. tom. 4. de Religione lib. 2. de Religiosis quatenus liberali c. 26. n. 8. ubi monet n. 11. non potest Prælatus ex ejusmodi bonis donationibus mere gratuitas, seu liberales, id est, nullo alio titulo, aut causâ (subnixis) nisi liberalitatis. Est enim datum liberalitas suæ, nullo jure cogente, licet facta collatio, juxta L. I. ff. de donationibus. Actus ex rebus non proprijs, sed alienis liberalitas esse, injustitiæ species est; donationes autem, quæ fiunt causâ pietatis, aut misericordie, non sunt propriè liberales, cum fiant ex quadam juris obligatione, ac necessitate argum. c. 1. hujus tit. Sed neque donatio antidotalis, seu remunerativa

meritorum erga Ecclesiam, vel personas eius, seu membra Ecclesie, merè liberalis est, cum ex gratitudinis obligatione oriatur, sicuti habetur in *L. sed etsi 24. §. consuluit. ff. de petitione hereditatis*. Ubi dicitur antidoron, seu remuneratione esse veluti genus quoddam permutationis, quam ob rem tales donationes prudenter ac moderate facere ad Prælatum pertinet, sicuti docuit *lib. 3. tra. 4. c. 12. n. 9.* Addit verò *Suarez. cit. c. 26. n. 14.* Prælatum non tantum habere potestatem remunerandi beneficia jam præstita, sed etiam præveniendò, & excitandò ad beneficiendù, erogandù, seu donandù, ita nim. ut ob oculos habeatur, tum proximorum ædificatio, tum Ecclesie, seu monasterij utilitas.

Deo secundò. Si portio quædam reddituum Prælato assignata sit ad sustentationem, distingueri oportet inter regularem, & secularem; nam regularis, sicuti & alius beneficiarius Religiosus, Ecclesiasticorum reddituum liberam quidem, & à Conventu, vel Superiore Prælato independentè administrationem habet, tamen sine causa, & merè liberales donationes, in causas profanas, facere non potest, cum non sit dominus reddituum suorum, prout docuit *lib. 4. tra. 6. c. 7. n. 12. §. interdum*. At verò secularis Prælatus, v. g. Episcopus, videtur esse verus dominus reddituum, seu portionis sue, non minùs, quàm alij beneficiarij seculares. De quibus docuit *lib. 4. tra. 2. c. 3.* eos dominos esse reddituum, sed ex iustitia obligatos, ut quæ supra decentem sustentationem supersunt, pauperibus, vel ad alias causas erogent. Sin autem propriam parimoniam aliqua cumulent, ea inter redditus abundantes numerari non debent, sed inter proprios Prælati, aut beneficiarij, de quibus tanquam dominus ad libitum disponere potest, juxta doctrinam *S. Thomæ cit. a. 7. in corpore*.

Notandum secundum. Prælatus obesse non potest Ecclesie agendo, seu contrahendo; id verò intellige quoad jura & bona Ecclesie acquisita, at verò quoad acqui-

renda ijs Prælatus absque Capituli consensu renuntiare, atque Ecclesie obesse potest, sicuti docuit *lib. 3. tra. 4. c. 10. n. 6.* Deinde dixi, Prælatum Ecclesie obesse non posse agendo, seu contrahendo; at verò omitrendo, seu negligendo obesse potest, videlicet in judicialibus, & usucapionibus, ita tamen, ut Ecclesie beneficium restitutionis in integrum comperat, sicuti ibidem docuit, & tradit ex communi *Imola hic n. 3. ex L. finali cod. de acquirenda possessione*. Denique cum Capituli consensu obesse potest Prælatus etiam contrahendo, & donando sine causa *argum. hujus c. v. inconsultis Canonici*. & tradit *Andreas, & Imola hic circa Gl. penult.* quamvis concedi debeat in integrum restitutio. Tamen *Abb. in fine c. aliter sentiat*, donationem irritam esse, si Prælatus cum Capitulum Ecclesie, sine causa meritorum, donet diviti: quod videtur esse contra communem, & contra praxin, dummodo periculum non sit alienandi res immobiles, aut mobiles pretiosas.

Notandum tertium. Donationes, & alienationes ex rebus Ecclesie malè factas à Prælato, successor revocare potest, imò debet revocare, tanquam ipso jure irritas *c. si quis 6. junctà Gl. de rebus Ecclesie non alienandis*. Sed & ipsemet Prælatus, quamdiu ab administratione remotus non est, revocare debet *c. si quis junctà Gl. v. alienato*.

CAPITULUM III.

Cæterum.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Alexandro III. si Abbas, vel solus, vel cum Priore, & quibusdam de Conventu, donationem fecerit, ex rebus monasterij, postea autem pars aliqua Conventus contradicat, quid faciendum sit? Respondet Papa, in hoc casu rum rei donatæ quantitatem, tum regionis consuetudinem, quæ tamen sacris Canonibus contraria non sit, diligenter

Pp ;

esse

esse considerandam, & secundum hæc donationem ratam, vel irritam declarandam.

SUMMARIUM.

Quando, & qua possit Prælatus regularis de rebus monasterij sui alienare sine consensu Capituli?

NOtandum, Prælatus regularis etiam sine consensu Conventus quasdam ex rebus monasterij donationes non magnas facere potest, si loci consuetudo, quæ irrationabilis non sit, id permittat.

Adverte hic. Tamen Prælatus regularis liberam habeat rerum Ecclesiæ administrationem, sicuti tradit *Gl. recepta in c. is cui 42. v. & libera de electione in 6.* tamen donare non potest *argum. Legis filius familias 7. ff. de donationibus.* Ex qua colligitur, si cui libera administratio concessa sit, eam non extendi ad perdendum, & simile dixi de Religioso, cui peculium à Prælato permissum est, *lib. 4. tra. 3. c. 7. n. 14.*

Excipitur primò. Quòd ex causa rationabili donare potest, videl. pietatis, vel misericordiæ, aut gratitudinis ergò, prout præcedente *c. dictum & significatum in cit. L. 7.* Imò talis donatio etiam ex rebus pupilli concessa est, considerato, quòd pupillo expediat *L. 1. §. cum tutor. ff. de administratione tutorum.* Ubi dicitur: alimenta servis, libertisque nonnunquam etiam exteris, si hoc pupillo expediat, tutor præstabit, solennia munera parentibus, cognatisque mittet.

Excipitur secundò. Quòd si consuetudo permittat, Prælatus donationes modicas, seu non magnas facere possit. Ita sumitur *ex textu hoc, & tradit Gl. finalis in c. cum nobis 19. de electione, & Gl. in cit. c. is cui.* partim quia consuetudo, si irrationabilis non sit, facultatem & jus dare potest, partim quia consuetudo facit, ut donationes sine querela, & avaritiæ suspicione facillè non possint omitti, nisi rerum status mutatus sit, quia v.g. onera, & expensæ monasterij augetur, vel reditus diminuti sunt, partim

quia, si consuetudo diuturna fuit, contra tus rationabiliter contradicit.

CAPITULUM IV.
Consultationibus.

PARAPHRASIS.

Si Ecclesia, priusquam vacat, seu vivente eo, qui Ecclesiam possidet, particulari personæ conferatur in titulum, irrita est collatio. Sin autem Episcopi auctoritate Ecclesia loco Religioso concedatur in proprietatem, rata est concessio, si tamen, ut persona, quæ Ecclesiam possidet, invita privari non debeat, quamdiu vivit.

SUMMARIUM.

Collatio beneficij, vivente beneficiario, fieri non potest in titulum, quando in proprietatem in corporati pupillo monasterio, vel pralatura.

NOtandum, Licet beneficiatio vivente non possit fieri collatio beneficii in titulum *o. 1. 2. & ult. de concessione prebende,* tamen nihil obstat, quin beneficium quoddam vacans, seu vivente adhuc beneficiario, in proprietatem conferatur, seu incorporetur monasterio, vel pralatura, seu dignitati. Ratio discriminis est. Primò. Cum titulus beneficii in dissolubilis sit *c. Adhuc 1. 2. de filiis presbyterorum.* is autem in pones beneficiarium investitum, impossibile est, ut eo non remoto, alteri beneficium conferatur in titulum, quandoquidem unius Ecclesiæ, & cuiuseunque beneficii non possunt esse duo beneficiarii, seu intulati. *c. cum non ignores 15. c. in e. de prebendis, & docent DD. in c. super eo 1. eodem in 6.* At verò incorporatio beneficii non necessariò secum fert titulum in actu, sed tantum in habitu, cum frequentissimè sit, ut ad Prælatum monasterij v.g. pertineat Ecclesia parochialis, quoad habundantia ratione incorporationis; ad alium autem, videlicet intitulatum Vicarium, quoad

ram, & titulum actualem, sicuti explicavi
in *disp. de Prælatiis* q. 208.

Secundò. Sacri Canones ad imitationem
civilium legum reprobanda pacta, si fiant de
futurâ successione in beneficio, quæ causa
est, cur, beneficiario vivente, non tantùm
conferri non possit, sed nec promitti bene-
ficiùm *c. 2. de concessione præbendæ*. At verò
si beneficiùm, vivente Rectore ejus, incor-
poratum, sive in proprietatem concessum
sit, monasterio, dignitati, vel præbendæ,
mortuo vel remoto beneficiario locus non
est successioni, quia beneficiũ secundum ti-
tulum principale vacare non censetur, sed
extinctum esse juxta ea, quæ docui *lib. 4.*
tit. 2. c. 9. n. 2. & consentit Clement, 2. de
rebus Ecclesiæ non alienandis.

CAPITULUM V.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Nobiles quidam Episcopum Florentinum
persecutionis, & schismatis tempore, do-
mini sustentarunt; sedato verò schisma-
te Episcopus ex mandato Alexandri III,
remunerationis loco dedit ipsis in feo-
dum quatuor modios terræ, & successor
ipsius secundum morem ipsos in feudo
investivit. Verùm cum nobiles datam sibi
terram menturari curassent, non nisi duo
tercæ modij reperti sunt, ideòque feo-
dum integrari postularunt. Super hac
re dubitavit Episcopus Florentinus, pro-
pterea, quòd nobiles possessionem partis
adijciendæ non haberent, & ideò Episco-
pus eos de novo investire videretur, num
id ipsi liceret. Respondet Innoc. III. cum
Ecclesiæ in actibus suis fraudem ullam
committere non debeat, quòd Episcopus
secure possit feudum integrare, quando-
quidem infeudatio super quatuor modios
facta fuit nobilibus.

SUMMARIUM.

Ad fraudes cavendas, etiam contra
Ecclesiæ ad supplementum agitur.

Notandum primum. Episcopus, aliùsve
Prælati propter insidias, & vitæ pro-
priæ periculum licet se ad tempus abscon-
dere, vel ab Ecclesiâ discedere potest, ita
tamen, ut interim ea, ab hostibus fidei de-
trimentum non patiat, alioquin bonus
Pastor animam suam ponet pro ovibus *Joan.*
10. & ita docet *Innoc. in c. nisi n. 4. de re-
nunciacione*.

Notandum secundum. Justa causa est,
rem immobilem Ecclesiæ in feudum conce-
dendi ob remunerationem beneficiorum
præstitorum Ecclesiæ, vel Prælato intuitu
Ecclesiæ. Ita *Abbas hic n. 2.* sicuti enim Ec-
clesiæ ad liberandum Prælatum à gravi peri-
culo ex pietatis lege, si opus sit, etiam bona
immobilia alienare potest, ita multò magis
in remunerationem ejusmodi beneficij, vel
obsequij, in feudum dare, adhibitis tamen
juris solemnitatibus.

Notandum tertium. Ad Ecclesiæ, &
Ecclesiasticos maxime pertinet in actibus,
& contractibus ab omni fraude abstinere, &
conventa fideliter adimplere. Ita sumitur
ex *hoc c.* & videri potest *Gl. in antient. hoc*
jus v. ut plus causa 10. q. 2.

Notandum quartum. Si cui titulo feo-
di, vel venditionis acquisitum sit jus ad
certam quantitatem agrorum, v. g. quatuor
jugera, & traditio facta sit minoris quan-
tatis, agi potest ad supplementum, v. g.
duorum jugerum, quæ in mensuratione de-
sunt, nam iste est error facti, qui involun-
tarium operatur in decepto, sicuti *Imola*
notat n. 5. quare inanem in hoc casu ser-
vulum habuit Episcopus, quasi de novo
aliqua fieret infeudatio duorum jugerum,
quòd eorum possessio antea acquisita non
esset; satis enim est, si infeudatio quatuor
jugerum antecessit, per quam jus acquisi-
tum fuit nobilibus vasallis, ut ejus vigore
traditionem petere, possessionemque acci-
pere possent. Ita colligitur ex *hoc c. secun-
dum integram lectionem*.



CAPI-

Cum dilecti.

PARAPHRASIS.

Vir nobilis terras monasterio donavit, tanquam elemosinam pro remedio animæ. Sed progredienti tempore filius ejus Alanus dicebat, donatorem concessisse sub conditione pensionis, quæ si soluta non fuerit, terræ redigi possint in forestam, seu saltum: & cum de facto, ac per violentiam terras auferre veller, Abbas & Conventus questi sunt Innocentio III., ne molestarentur. Is iudicibus delegavit, qui, negotio examinato, causam instructam remiserunt Romani: quare Pontifex hinc scribit, & mandat, ut pro monasterio sententiam ferant, quia ex transmissio donationis instrumento evidenter apparet, hanc fuisse mentem donationis, ut clausula in fine posita de faciendâ foresta non ad priorem donationem, quæ ita libera, ac pura fuit, ut ab omni vexatione, & consuetudine secularium immunis esset, referri deberet secundum sanum verborum intellectum, sed ad donationem sequentem, quæ pensionem, ac conditionem insertam habet, etenim in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficijs plenissima interpretatio faciendâ est.

SUMMARIUM.

1. Laicus etiam donationi à se Ecclesie facta conditionem adijcere potest, quæ tamen, si repugnet sacris canonibus, nulla est.
2. Si mens certa disponentis ex verbis instrumenti colligatur, censeri debet probatio evidens.
3. Quid clausula operetur in fine dispositionis plura Capitula continentis.
4. In contractibus bona fidei non est necessarium strictè verbis inharere.
5. Limitatur hæc doctrina.

Notandum primum. Fundator etiam Laicus fundationi, ac donationi, quam facit Ecclesie, apponere potest conditionem sacris Canonibus non adversantem, ut ut pensio ipsi, & hæredibus solvatur, & non alienetur res &c. Sin autem conditio non servetur, res donata cadat in communem, & à fundatore, ejusque hæredibus recipi possit. Ita hic & in c. Verum de conditionibus apposis, & notavit Abbas in n. 3. Imola n. 5. Ubi ait, quod in isto casu fundator propriâ auctoritate rei donatæ possessionem ingredi possit, licet decretum sit, ut fiat cum iudicis auctoritate. Simile est, si quis monasterium fundaverit quibusdam religiosis, eo appposito pacto, ut ipsi illud deleant, patronus alius, qui voluerit, Religiosis, vel Clericis dare possit.

Notandum secundum. Si ex verborum tenore instrumenti certa mens disponentis colligatur, censeri debet probatio evidens, ut testibus opus non sit. Ita sumitur ex hoc c. ubi notat Abbas n. 1. & ex L. l. ff. de Legatis primo. ubi Bartolus ait, evidenter apparere dicitur, quod legitime conjecturis apparet, licet non fuerit expressum.

Notandum tertium. Licet allocutio in regula sit, quod clausula in fine dispositionis plura Capitula continentis postulat ratur ad omnia antecedentia c. in p. l. 71. de appellationibus. Tamen id limitari debet primo. Si Capitulum prius postulat propriam clausulam, seu determinationem habuit, tunc clausula in fine, seu postposita, ad prius illud Capitulum se non extendit. Secundo. Si contrarietas, vel absurditas aliqua diceretur per ejusmodi conditionem. Ita docuit Bartolus in L. scriptura §. hanc autem. ff. de legatis primo. Imola hic. n. 9. & sumitur ex hoc c. cum enim duæ donationes factæ essent, prior apposita fuit determinatio, ut pura & libera ab omni secularium impetratione, quare cum post alteram donationem conditio pensionis adjecta esset, non potuit

uit ea adjectio ad utramque donationem, sed tantum ad proximè præcedentem referri.

Notandum quartum. In contractibus bonæ fidei plena, & non omnino adstricta verbis interpretatio est faciendâ. Sicuti etiam colligitur ex *L. ult. Cod. qua res pignori &c.* In testamentis verò, & ultimis voluntatibus plenior interpretatio faciendâ est, uti habetur in *regula ff. 12. in testamentis plenius voluntates testatorum interpretantur (accipitur passivè) & consentit L. 3. ff. de tritico, vino &c.* Denique in beneficijs, donationibus, & gratijs plenissima verborum interpretatio fieri debet, quia *12. de privilegijs c. olim 16. de verborum significatione.* Quod maximè verum est, si gratia à Principe procedat, quippe, quem liberalitas ante alios decet *L. 3. Cod. de constitutionibus Principum.* Item si in causam per se favorabilem, v.g. in Ecclesiam donatio, aut beneficium conferatur. Ratio hujus doctrinæ sumi debet ex majorè affectione, seu benevolentia, quæ in disponente esse censetur, nam qui contractum, eumque reciprocum celebrat, is justitiam, seu æqualitatem inter contrahentes servare vult, & idè secundum jura gentium verba nec nimis strictè, nec nimis amplè accipere censetur, sed prout bona fides postulat, ut pars neutra gravetur. At verò, qui testatur, vel mortis causâ quidquam relinquit, is donationem aliquam facit liberaliter, sed non tam liberalem, quàm is, qui inter vivos donat, aut gratiam confert, si quidem qui mortis causâ dat, aut relinquit, mavult ipse habere, quàm eum, cui relinquit *L. 1. ff. de mortis causâ donationibus.* At verò, qui inter vivos donat, mavult habere enim, cui donat, quàm se. *L. senatus 35. §. si de mortis ff. eodem.*

Limitati debet primò: Quòd concessiones, & gratiæ quatenus in tertiæ personæ præjudicium cedunt, strictam interpretationem habent. *L. 2. Cod. de precibus Imperatori offerendis. L. 2. §. si quis ff. ne quid in publico loco.* Ubi dicitur, quòd in re-

scripto, vel privilegio Principis non censetur concessum, si quid alijs incommodum, aut præjudicium afferat, nisi exprimat.

Secundò, Quòd beneficia, seu privilegia strictæ interpretationis sint, quatenus juri communi derogant, videlicet dispensationes, ut legitimatio spuriorum &c. Cum enim juris publici magnus favor sit, idè omnis discessus à jure publico, seu communi, odiosus censeri debet, sicut tradit *Gl. in c. 3. v. dispensationes de officio ordinarij in 6. argum. c. 1. & 2. de filijs presbyterorum in 6. & c. 3. de consanguinitate.*

CAPITULUM VII.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Ex Innocentio III. quæsitit Episcopus Heiliensis, si Episcopus patrono consentiente, Religiosis Ecclesiam concedat his verbis: concedo vobis Ecclesiam hanc: num censeri debeat, proventus Ecclesiæ donasse, an verò tantum jus patronatûs. Respondet Papa, quandoquidem Episcopus Ecclesiam concessit ex consensu patroni, existimandum est, patronum quod suum est, concedere voluisse, videlicet jus patronatûs, Episcopum verò id donasse, quod de temporalibus proventibus in eadem Ecclesia obtinet, ut in Religiosorum usus convertantur: quòd si ex proventibus nulla ad ipsum Episcopum portio spectat, tunc omnes proventus, excepto Cathedralico in Religiosorum usus convertendi sunt. Verum ut legitima sit ista concessio, seu donatio, Capituli consensus requiritur.

SUMMARIUM.

1. Jus habens in re aliqua, si consentiat illius alienationi, censetur, jus suum in alterum transferre, cum destinatione aliqua.
2. Episcopus non potest Ecclesiam sibi subiectam donare monasterio plenissimo jure.

Qd

3. Per-

3. *Verbum concessionis, quando significet dominij translationem?*

1 Notandum primum. Si aliquis jus habens in re consentit alienationi ejus, vel subscribit, censetur abdicare, & in alterum transferre jus suum; id tamen distinctionem postulat secundum *Gl. in L. Laicus 39. v. non obesse, de pignoratitia actione*, Vel enim alienatio valide non fit sine consensu ejus, tunc vera est doctrina, uti apparet in *hoc c.* & in *L. fidejussor 26. §. pater ff. de pignoribus*. Vel alienatio fieri potuit sine consensu, aut subscriptione ejus, quia adhibetur tantum ut testis alienationis factæ ab altero, tunc vera non est regula, *argum. cit. L. Laicus* ubi *Gl.* ait, quod subscribens ego alienationi rei meæ, quam alius etiam me invito facere potest, mihi non præjudico, secus si alienationem facere non potuit sine consensu meo, tunc subscribendo videor consentire, & abdicare jus meum.

2 Notandum secundum. Episcopus non potest Ecclesiam sibi subditam donare monasterio jure plenissimo, ita, ut ab ipsius jurisdictione Episcopali exempta fit, secundum *Gl. hic v. cathedralicum. Gl. in c. 1. v. tradita causâ 16. q. 1.* ubi ait, quod Episcopus non potest abdicare à se jurisdictionem Episcopalem; & idem quantumcunque generalibus verbis eximat Ecclesiam, semper retinet correctionem, visitationem, & cathedralicum, ut *hic c. cum venerabilis 21. de censibus*.

Corollarium. Cum cathedralicum datur in signum subjectionis, teste *Innoc. & Imola hic n. 8.* idem si Prælati, vel quicumque alii ex Ecclesia Cathedralicum solvat Episcopo, eo ipso proficitur Ecclesiam Episcopali jurisdictioni subditam esse.

3 Notandum tertium. Licet verbum concessionis non significet dominij translationem, siquidem precarium, & commodatum est concessio rei ad usum duntaxat, uti *hic Imola* notat *n. 3.* tamen si hoc verbum, quippe valde generale, consideratâ qualitate materiæ subjctæ, personæ item donan-

ti, & donataria, verificari non possit secundum translationem usus, ut juris eadem partialis, tunc intelligi debet secundum omnem dominij translationem, quatenus fieri potest, & solet. Ita *Innoc.* ubi ait, si Episcopus Archidiacono in quibusdam Ecclesijs parochialibus jurisdictionem habenti, talem novam concessionem faceret, interpretatio fieret, quod ipsi Ecclesiam istam, antè non subditam, in jurisdictione subijcere vellet: sed quia monasteria parochias ita non habent subditas, sed incorporatas, & donatas quoad proventum idem de tali donatione intelligi debet concessio Episcopi, & ita quidem, ut si ipsa portio reddituum percipiat, eam donatæ censetur; sin autem nullos redditus percipiat, ne frustranea sit concessio, intelligi debemus, quod Ecclesiam secundum omnem redditum, quatenus potuit, monasterio incorporare voluerit: requiritur autem in hanc incorporationem consensus Capituli, & patroni, uti *ex hoc c.* colligitur. *Ubi quæ dixi in c. tua 8. de his, qua sunt a prelati &c.*

CAPITULUM VIII.

Inter.

PARAPHRASIS.

Inter Hospitalarios S. Sepulchri, & Hospitalarios S. Allucij lis erat (super hospitaliis) S. Allucij: & quidem Hospitalarij Sepulchri semel & iterum ex diversis civilis iudicium possessorium intentantes potentiam contra se retulerunt; postea ac peritiorum transferunt, & dixerunt, cum G. Rector, fratres item & Patroni hospitalis S. Allucij, habito communi tractatu constituisent hospitalale, ipsum hospitalium Hospitalarijs Sepulchri, quod tunc procuratoribus vices suas commiserant, ita, ut quod ab ipsis actum fuerit, ipsi approbarent: procuratores ad Hospitalarios Sepulchri accedentes, cum ipsi convenerunt, ut aliqui mitterentur ad hospitali-

hospitale S. Allucij, qui nomine omnium acceptarent assignationem & subjectionem hospitalis; cum itaque duo ex fratribus hospitalis Sepulchri missi essent, ipsi à Magistro, procuratoribus, & fratribus S. Allucij receperunt donationem, & assignationem ejusdem, eaque omnia per testium depositiones sufficienter ostensa fuerunt. Sed procurator partis adversæ respondit, donationem retractandam esse, quia multis fratribus inconsultis, à Rectore, & paucioribus fratribus ex comunicatis, ac perjuriis celebrata fuit, & quidem circa rem litigiosam, in fraudem plebani, qui super eodem hospitali litem intenderat. His ita expositis Innocentius Papa consideratis, quod fratres & patroni S. Allucij pro se, imò contra se turpitudinem allegarunt, videlicet excommunicationem, perjurium, & fraudem ab ipsis commissam; præterea quod donatio hospitalis ab Hospitalarijs S. Allucij facta pura fuerit, & simplex; quare, cum non deceptoribus, sed deceptis jura subveniant, ideo Hospitalarios illos contra proprium factum se legitime non posse defendere, & ideo dictum hospitale cum pertinentijs suis Hospitalarijs Sepulchri se adjudicare, ita tamen, ut per hanc sententiam Episcopo, & plebano nullum præjudicium generetur, quia res inter alios acta non debet alijs præjudicium creare.

SUMMARIUM.

1. Allegans propriam turpitudinem ordinariè in judicio non auditur.
2. Qui negat contra instrumenti authenticum tenorem, quod Capitulum consenserit, probare debet, si neget majorem partem Capituli consensisse.

Notandum primum. Qui in uno judicio succubuit, eo non obstante, potest super eadem re ex alia causa experiri non tantum petitorio judicio, sed etiam possessorio. Ita Gl, hic v, dissimilibus, Imolan. 15,

Notandum secundum. Allegans propriam turpitudinem in judicio non auditur, ut hic & c. eum super 8. junctà Gl. v. posse de concessione prabenda. L. 2. ff. de conditione ob turpem causam & c. Est autem hæc regula vera ordinariè; exceptiones autem sunt, quas Gl, affert. Prima, nisi vertatur periculum animæ. c. consanguinei 11. de sententia & re judicata. Secunda, nisi agatur de favore, aut jure Ecclesiæ. c. 3. causà 35. q. 9. & docent DD, in c. 2. de rerum permutatione. Quod Prælatus malè alienans rem Ecclesiæ revocare potest, allegans propriam turpitudinem. Tertia in causa liberatis. argum. L. interrogatum 24. cod. de liberali causa.

Notandum tertium. Si in instrumento alienationis authentico contineatur, consensus Capituli intervenisse, & postea allegetur, non fuisse partem majorem Capituli, seu partem majorem non fuisse adhibitam, alleganti probatio incumbit. Ita tradit Imola hic n. 6. Abbas n. 2. & in c. quanto n. 7. de ijs, que sunt à Prælatis. Ubi concludit, necessarium non esse, ut notarius conficiens instrumentum, nomina Capitularium consentientium exprimat; satis enim est, si testetur de consensu majoris partis Capitularium, seu unanimi Capitularium consensu (nam latè loquendo hic etiam consensus, qui majoris partis est, unanims censetur) coram se facto. Addit Imola in cit. c. quanto, satis esse, si notarius dicat, Capitulum consensisse, cum non possit dici Capituli consensus, nisi pars major Capituli consenserit, pro notario autem tanquam perito præsumptio esse debet, quod verba accipiat secundum juris intellectum, ait Imola cit. loco.

CAPITVLVM IX.

Apostolicæ.


PARAPHRASIS.

Tametsi in can. bona causà 12. q. 2. definitum sit, si Episcopus in diocesi monasterium construere voluerit, & de rebus

Qg 2

Eccle.

Ecclesie suae dotare, quod partem quinquagesimam, & non amplius, census sui ei dare possit, centesimam autem, si alteri alicui Ecclesie, vel pro sepulchro suo conferre velit, quia tamen in Canone subjungitur, id cum temperamento concessum esse, ut dum aliena Ecclesie subsidium affertur, propriae Ecclesie damnum grave non inferatur: ut Episcopus unam duntaxat ex his duabus, quam maluerit, dotationem, seu donationem faciat, ideò observandum hoc est, quod Episcopus neque tantum, imò nec minus parte quinquagesima, aut centesima, sive simul & semel, sive saepius & successivè, in pias causas de rebus Ecclesie conferre possit cum gravi ejus detrimento, alioquin si damnosa donatio, & alienatio, seu ex possessionibus, seu ex proventus ad Episcopalem mensam, vel Cathedralis Ecclesie pertinentibus, facta sit, canonicè revocari poterit, præterquam, si præscriptione, aliave legitima exceptione actio, seu revocatio excludatur. Porro licet prima facie præsumptio sit, quod collatio partis quinquagesimae, vel centesimae grave non afferat Ecclesie detrimentum, tamen ex varijs circumstantijs, quæ potiùs ostensione facti, quàm expressione statuti, cognoscuntur, interdum deprehendi potest, esse id valde damnosum, etiamsi semel tantum fiat; quod si verò Ecclesia ita abundet possessionibus, & proventus, ut sine detrimento etiam amplius, quàm quinquagesimae vel centesimae partis subsidium alteri Ecclesie præbere queat, quamvis tunc Episcopus per se non debeat, summam eam à Canone ad incautas donationes impediendas definitam, excedere, de Superioris tamen, nempe Pontificis, auctoritate potest etiam in majore quantitate alterius Ecclesie inopiam sublevare.



1. *Quid Episcopo liceat in dotationem monasterij à se constructi, aut judicium Ecclesie sua diocesis conferre.*
2. *Revocari tamen potest talis donatio si in præjudicium Ecclesie Cathedralis cedat.*

Notandum primum, Episcopus etiam in petito Capituli consensu, & licentia Pontificis, semel, aut successivè conferre potest quinquagesimam partem bonorum Ecclesie ad monasterij extructi dotationem, aut partem centesimam in alterius cathedralis Ecclesie subsidium. Sed necessarium est primò. Ut monasterium seu Ecclesia, cui tribuitur, positum sit intra diocesim, ubi ea non censeatur tanta alienatio, ac si extra diocesim bona transferantur. Ait verò *Abbas hic*, 3. quod Episcopus dotacionem facere possit Ecclesie exemptæ intra diocesim, quandoquidem Ecclesia, vel monasterium exemptum, constat esse in diocesi, nisi non sit de diocesi. Necessarium est secundo. Ut monasterium vel Ecclesia ab Episcopo extructa sit, cum consensu Capituli *arg. c. si Episcopus 73. causa 12. q. 2. tunc cum Capitulum contradicere non potest, ubi æquum, imò necessarium sit, ut Ecclesia, vel monasterium extructum competere dotetur, quatenus id fieri potest sine gravi damno Ecclesie donantis. Ita *Imola de r. 7. Abbas in c. pastoralis n. 4. de lit. qui fiunt à Prælati.**

Notandum secundum. Episcopus sepulturam sibi eligere potest extra Ecclesiam Cathedralis, quemadmodum & uxori liberè sibi eligit sepulturam à marito distinctam *c. de uxore 7. de sepulchris. ubi de hoc dicitur.*

Notandum tertium. Quædam sunt, quæ ostensione seu consideratione facti, secundum omnes ejus circumstantias, facillimè determinantur juxta boni viri arbitrium, quàm per status expressionem. Quare si lex indeterminatè caveat, de magno, gravi, diuturno &c. plerumque ex facti natura, & circum-

circumstantijs colligi debet, num id sub Lege comprehensum sit, necne.

1. Notandum quartum. Si dotario monasterij, v. g. sibi in Dicecesi, ab Episcopo facta sit, cum gravi damno Ecclesie Cathedralis, revocari potest, ac debet, cum ipso jure irrita fuerit, quippe à SS. Canonibus in hoc casu non concessa, sed prohibita. Si tamen tempore dotationis visum fuit, eam damnosam non esse, confiteri donatio, tamen postea contrarium se prodar. Verum tunc restitutionis in integrum beneficium concedi debet, uti *Abbas hic notat in fine Capituli*. Præterea si quadraginta anni post donationem rei immobilis ex tali causa factam lapsi sint, cum bona fide monasterij dotati, securum esse debet propter præscriptionem, sicuti hæc dicitur.

CAPITULUM ULTIMUM.

Propter.

PARAPHRASIS.

Donator propter ingratitude[m] ejus, in quem liberalitas collata est, donationem ex juris rigore revocare potest, si forte impius in eum manus injecerit, vel atrociores injurias, aut grave rerum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit: veruntamen si donator tacuit, seu revocandi voluntatem non expressit, successor ejus revocare non potest.

SUMMARIUM.

1. Ex quibus causis donatio revocari potest?

2. Hoc jus revocandi probabiliter non transit contra hæredem.

Notandum primum. Propter ingratitude[m] donatarij donatio revocari potest in quinque numeratis casibus, si causa in Judicio ostensa, & pro donatore judicatum sit. Sumptum est ex *L. ult. Cod. de revocandis donationibus*. & explicavi *lib. 3. tract. 4. c. 12. q. 5.*

Notandum secundum. Hoc jus revocandi donationem personale est, neque transit ad successorem donatoris. Ita *hic & in L. ult.* Sed nec ipsemet donator revocare potest donationem ab hærede donatarij ingrati, cum actio ista revocationis ex delicto nascatur, cujusmodi actio contra delinquentis hæredes non competit, nisi lis cum defuncto contestata fuerit. *L. unica C. de delictis defunctorum*. & ex communi tradit *hic Imola n. 2.* Non pauci tamen, ut *Joann. And. & Abb. n. 7.* existimant, si donator ignoravit, injuriam contra se commissam, quod agere possit adversus hæredem; imò etiam, quod hæres donatoris injuriam prosequi, atque donationem revocare possit: quæ, licet ex jure non satis ostendantur, tamen propter doctorum auctoritatem probabiliter dicuntur, & confirmantur ex doctrina *Gl. in L. fideicommissum 27. Cod. de fideicommissis. Gl. in L. loco rem 10. C. de his, quibus ut indignis.* & latius explicat *Mol. tra. 2. disp. 281.*

* * *

* * *



Qq 3

TITU.

TITULUS XXV. DE PECULIO CLERICORUM.



DE alienationibus, & speciebus quibusdam contractuum eo maxime sine dictum fuit, ut apparet, an & quomodo Prælati, & Clerici Ecclesiarum alienationes, contractus, ipsasque donationes instituerent possent. Ad id verò exactè cognoscendum, sicuti & ad sequentes titulos de ultimis voluntatibus, necessarium est tradere doctrinam de Clericorum peculio, sicuti in progressu patebit.

CAPITULUM I.

Investigandum.

PARAPHRASIS:

Rector aliquis Ecclesiæ prædia suo nomine emerat, sed postea dubitatum fuit, cujus juris essent, sive, utrum ad Rectorem, an ad Ecclesiam spectarent. Respondetur, investigandum esse, quidnam patrimonij habuerit, quando promotus fuit; si enim nihil patrimonij habuit, & prædia emit, ea ad Ecclesiam spectare præsumendum est. Sumptum est *ex c. 1. causa 12. q. 3.*

SUMMARIUM.

1. *Quid præsumendum, si Rector Ecclesiæ prædia emit?*
2. *Præsumptio hujus juris etiam ad simplices beneficiatos extenditur.*

NOtandum primum. Si Prælati, vel Rector Ecclesiæ, cum promotus fuit, nihil aut parum patrimonij habuit, præsumptio esse debet, prædia, sive possessiones ab ipso emptas esse, non ex bonis patrimonialibus, sed Ecclesiasticis redditibus.

Porro ea doctrina vera non est, quæ Glossa ita generatim hic tradit, quod bona, quæ Prælati possidet, de bonis Ecclesiæ præsumitur acquisivisse, cum potest contrarium colligatur ex textu, cuius perpenditur enim, quod Prælati temporaria promotionis suæ patrimonialia bona non habuit: itaque per sensum contrarium fertur, si talia bona habuit, ita ut ea possessiones emere potuerit, aliud dicendum esse. Et verò in hoc ipso calu generalis regula tradi non potest, sed ad varias circumstantias recurrendum; si enim patrimonium Prælati amplum fuit, Ecclesiæ autem, præ beneficii redditus non ampli, tum ex proprijs potius, quàm Ecclesiasticis redditibus comparasse censetur, teste *Abb. in c. 1. q. 3. hoc tit.* Præterea si Prælati seu Rectori possessiones suo nomine comparavit, ita pacificè tenuit, ac possedit, in dubio pro possessore, & hærede ejus præsumendum est, quia in dubio non debet præsumi dolum, seu dolus juxta *L. merito si. ff. pro socio.* Refert etiam, num rationes doli Prælati, aliisque administratori, vel officiali; tunc, si quid compararit, quod rationes non venerit, ex proprijs, si habuit, acquisivisse præsumitur, sicuti dicitur *Ioann. And. in c. 3. & videtur in Mascardus de probationibus c. 1. q. 1.* Id verò bene monet *Gl. hic. v. dicitur* præsumptionem hujus Capituli, si pater fuit Prælati, censeri ex bonis Ecclesiasticis datum, non esse juris & de jure, sed contra eam admitti probationem in contrarium. Adde, dictam præsumptionem ex conjecturis tantum orta sit, contra urgentioribus conjecturis superari posse, quia rector, vel beneficiarius postea hæredes.